

iter constituitur, & consequenter nomen non relativum, sed absolutum, peit pro forma significationem non relativam, sed absolutam formaliter.

Confirmatur & magis illustratur hac ratio. Si formale significatum hujus nominis, esset relativum formaliter, seu divina relatio, quatenus exercet munus referendi, & ut formaliter esset respectus ad terminum; hoc nomen Persona Divina, relative diceretur; & consequenter sicut Pater dicitur & est Filius Pater, & e contra, ita etiam diceretur Pater Persona Filii, & Filius persona Patris: Sed Pater persona Filii non dicitur; & oppositum asserere, absurdum reputat Augustinus lib. 1. de Trinit. c. 6. ubi ait: Non placet ut dicamus Patrem personam Filii: Ergo significatum formale hujus nominis, Persona Divina, non est relativum formaliter, sed ipsa divina relatio, ut exercet munus referendi, & quatenus formaliter est respectus ad terminum, sed quatenus est subsistens, & gerens vices formae hypostaticae. Unde D. Thom. hic artic. 4. ad 1. explicans dictum illud Augustini: in Trinitate cum dicimus personam Patris, nihil aliud dicimus quam substantiam Patris, et sic quippe dicitur persona, non ad Filium: dicit quod hoc nomen, persona, dicitur ad se, non ad alterum; quia significat relationem, non per modum relationis, sed per modum substantiae, quae est hypostasis.

Ex quo intelliges, aliter significari divinas relationes nomine personae divinae, & aliter his tribus distinctis nominibus: Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Nam persona divina significat formaliter & explicitè relationes divinas, sub conceptu substantium incommunicabiliter: sicut persona in communi significat subsistens incommunicabiliter in qualiter natura intellectuali; implicite vero & de materiali significat illas sub conceptu relationum, & prout exercet munus referendi ad terminum seu correlativum. E contra vero tria praedicta nomina significant formaliter & explicitè relationes sub conceptu relationum, & quatenus sunt respectus ad terminum; implicite vero, & de materiali, sub conceptu substantium eas important.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Contra primam conclusionem sic arguit Durandus. Persona secundum Boetium, est rationalis natura individua substantia: Sed individuum de formali secundam intentionem significat: Ergo & persona divina.

Respondet individuum posse funi dupliciter, Logica scilicet & Metaphysice. Primo modo secundam intentionem formaliter significat; altero vero, non secundam intentionem, sed modum incommunicabiliter subsistendi de formali importat; & sub hac ratione definitionem personae ingreditur.

Arguit secundo Scotus in eadem conclusionem. Persona est rationalis natura incommunicabilis substantia: Sed ly incommunicabilis, solum negationem communicabilitatis significat; Ergo persona in communi, & consequenter persona divina, dicitur pro formali solum negationem communicabilitatis.

Respondet negando Minorem. Sicut enim quando dicitur, quod Angelus est immaterialis, & equus irrationalis, ly immaterialis & irrationalis, non solum negationem, sed aliquid positivum de formali significant; eisi negationem circumlocutive, vel a posteriori explicent: ita etiam, quando dicitur, quod persona est natura rationalis incommunicabilis, substantia ly incommunicabilis, solum negationem non significat, sed aliquid positivum, fundans negationem communicabilitatis.

Dices: In persona divina nihil potest assignari positivum, in quo negatio communicabilitatis fundetur: Ergo illa solum negationem de formali significant: Consequentia patet. Antecedens probatur. Si in persona divina aliquid positivum daretur, in quo fundaretur illa negatio, maxime relatio: Sed haec non potest fundare negationem communicabilitatis: Ergo in persona divina nihil potest assignari positivum in quo negatio communicabilitatis fundetur. Minor probatur: Paternitas v.g. vel fundat negationem communicabilitatis ex ratione relationis, ut sic, vel ex conceptu talis relationis? Non primum, alias etiam relatio Spiritus incommunicabilis esset. Nec secundum, nam paternitas ex conceptu paternitatis solum importat ordinem originis ejus a quo alius, in quo nulla ratio incommunicabilitatis importatur. Ergo divina relatio non potest esse fundamentum negationis communicabilitatis.

Ita arguit quidam Recentiores Scotista, quorum argumentum respondetur, negando Antecedens, ad cuius probationem, nego Minorem. Ad probationem illius, nego etiam Minorem pro secunda parte: nam eo ipso quod paternitas in Deo sit relatio originis per actionem intellectus, habet taliter convenire uni persone, quod nulli alteri competere possit, ac proinde fundat negationem communicabilitatis: relatio autem Spiritus, quia fundatur in origine Spiritus Sancti qui est terminus mutui amoris,

peit esse duabus personis communis; & consequenter negationem communicabilitatis fundare non potest.

Objicies tertio contra secundam conclusionem. Quidquid ingreditur definitionem, & conceptum formalem ac quidditativum alicujus rei, pertinet ad significatum formale nominis quo significatur: verigratia, quia animalitas & rationalitas ingrediuntur definitionem hominis, & sunt de conceptu formali & quidditativo illius, dicuntur esse formale significatum hujus nominis, homo: Sed essentia vel natura divina definitionem personae ingreditur, & est de conceptu formali & quidditativo divinarum relationum, ut disputatio praecedentis ostendimus: Ergo divina essentia vel natura, hoc nomine, persona divina, de formali significatur.

Respondet distinguendo Majorem: quidquid ingreditur definitionem, directe & in recto, concedo Majorem: in obliquo solum & de connotato, nego Majorem; & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam. Solutio patet ex supra dictis, & ex definitione, in qua natura intellectualis, non in recto, sed in obliquo tantum importatur, demitur enim, rationalis natura individua seu incommunicabilis substantia.

Instabis: De persona divina predicatur natura divina in concreto, predicatione formali; cum haec propositio formalis & vera sit: Persona Divina est Deus; Sed natura divina non ingrederetur in recto constitutionem personae divinae, & non esset de formali significato illius, non posset sic predicari: Ergo natura divina in recto ingreditur constitutionem personae divinae, dec. Major est certa, Minor probatur. De eo quod solum in obliquo importat naturam aliquam, non potest in sensu formali talis natura praedicari, nomine illam importante in recto: Sed Deus in recto importat naturam divinam: Ergo non potest predicari formali predicatione de persona, si ad ejus constitutionem, & formalem significationem, solum in obliquo ingrederetur natura divina.

Respondet concessa Majori, negando Minorem. Ad illius probationem, distinguo Majorem: nomine importante naturam in recto, in significando & supponendo, concedo Majorem: nomine importante naturam in recto, solum in significando, non autem in supponendo, nego Majorem; & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam. Nam hoc nomen Deus, licet Divinitatem in recto significet, supponit tamen pro habente Divinitatem: in qua suppositione importatur non in recto, sed in obliquo Divinitas; cumque persona divina sit habens naturam divinam formaliter; sit quod de illa praedicatur natura divina in concreto, predicatione formali. Licet enim nomen Deus, & nomen Persona Divina, differant in significato directo, conveniunt tamen in suppositione directa: quia Deus directe supponit pro eo pro quo supponit directe Persona Divina.

Objicies quarto cum Aureolo: Nullum constituens significatur in recto, nomine constituti: Sed relatio ut subsistens constituit personam divinam: Ergo non significatur in recto aut directe nomine Persona Divina.

Respondet concessa Majori, negando Minorem. Cum enim dicitur, relatio ut subsistens, idem est ac si diceretur, relatio in concreto: prout sit autem non significatur ut constituens, sed ut constitutum; in abstracto vero significatur ut constituens, quia significari ut constituens, est significari ut formam, & ut quo aliquid est tale, qualiter significatur relatio nominibus non concretis, sed abstractis, qualia sunt paternitas, personalitas, substantia, & his similia: nominibus autem concretis significatur non ut constituens, sed ut constitutum: v.g. Pater non significat paternitatem ut formam, & ut quo Pater est Pater, nec ut referens, sed ut quod est, & quod refertur, quodque relatione constituitur. Et hoc nomine, Persona Divina, non significatur personalitas ut forma constituens personam, sed ut persona personaliter constituta.

Objicies ultimo: D. Thomas quest. 9. de potentia art. 4. in corp. docet, quod sicut nomen homo, significat formaliter compositum ex anima & corpore, materialiter vero significat habens cor, cerebrum, & alia, sine quibus non reperitur corpus animatum: ita hoc nomen, Persona Divina, significat de formali distinctum subsistens in natura divina; de materiali autem significat relationem, vel relativum.

Respondet D. Thom. ibi loqui de relatione, quatenus formaliter exercet munus relationis, & ut est respectus ad terminum; sub qua ratione de materiali tantum a persona divina significatur, ut in ultima conclusione ostendimus: non vero loqui de relatione, ut est subsistens, & quatenus gerit vices formae hypostaticae. Nam (ut ibidem ait S. Doctor) Persona Divina significat de formali distinctum subsistens in natura divina: Distinctum autem subsistens in natura divina, non potest esse nisi relatio in concreto, seu relativum; illud enim solum praestat incommunicabilitatem, & distinctionem in Divinis.

Potesse etiam dici cum Nazario, D. Thomam loco allegato solum intendere, quod persona divina de materiali significatur.

fecit relationem, ex parte modi significandi & concipiendi, sive prout materialiter, idem est, ac non explicitè: non tamen negare, qui significet relationem formaliter ex parte rei conceptae, & implicitè.

DISPUTATIO V.

De pluralitate Personarum.

Ad quaestionem 30. Divi Thomae.

De pluralitate personarum in Deo fufe egimus disputatione praecedenti, confutando errorem Praxeae & Sabelli, qui unicam in Deo personam agnoscebant. Unde circa hanc quaestionem duo tantum hic nobis occurrunt examinanda. Primum est, an in Deo, ut praesentato relationibus & personis, detur aliqua subsistentia absoluta & communis? Secundum, an praeter illam tres adhuc relatae & propriae in personis divinis admittenda sint?

ARTICULUS I.

An in Deo, secundum se considerato, & ut praesentato relationibus: & personis, detur aliqua subsistentia absoluta.

In hujus difficultatis resolutione duo sunt celebres sententiae: omnino oppositae. Prima negat dari in Divinis aliquam subsistentiam absolutam, communem tribus personis, & propriam divinae naturae; & consequenter asserit divinam naturam subsistere in divinis personis, per proprias tantum earum subsistentias relativas. Ita Vasquez in praesenti disputatione, cap. 3. Arubal, Meratus, alique Recentiores, & ex nostris Aravius a tomo metaph. lib. 7. q. 2. art. 3. & novissimus P. Nicolai 3. p. q. 3. art. 3. ad 1. ubi cum D. Thom. dicit: Ex per hunc modum potest intelligi quod (natura divina) assumat naturam humanam, ratione sua subsistentia, vel personalitatis: advertit in nota quod D. Thom. non concludit posse naturam divinam assumere, sed intelligi posse alimentum, quia intelligitur ut persona, tamen non sit. Et postea subdit: Quibus oculis ergo subsistentiam absolutam, qua rationem personae non habeat, illius consideres viderent? ubi tam aperte subsistens pro persona, ut & subsistentia pro personalitate, vel pro subsistentia personalitas, quinque inculcatur &c.

Secunda sententia illi opposita hujusmodi subsistentiam admittit in Deo secundum se considerato, & ut praesentatur personis. Ita Cajetanus supra q. 3. artic. 3. q. 29. art. 4. infra q. 39. art. 4. tertia part. q. 2. art. 2. circa solut. ad 3. & q. 3. art. 2. illam etiam defendunt alii Thomistae, & ex extraneis Molina, Suarez, & Granada, qui plures alios refert; & egregie ostendit contra Vasquez, Cajetanum non esse primum Auctorem hujus subsistentiae.

Hanc tamen litem & controversiam existimo magis esse de nomine, quam de re, & procedere ex diversa hujus nominis, subsistentia, acceptione & intelligentia. Unde ut omnis tollatur aequivoctio, & facilius hac quaestio resolvatur, Observandum est ex D. Thom. quest. praecedentis art. 2. Ex eo quod res aliqua per se existit, & non in alio, vocari subsistentiam: ipsa enim subsistere dicimus, quae non in alio, sed in se existunt. Unde sicut aliquid dicitur esse in alio duobus modis: primo quia ab illo dependet ut recipiat esse: secundo quia illi communicatur, quomvis ab illo non dependeat, ut constat in anima rationali, quae dicitur esse in materia, etsi non dependeat ab illa. Ita etiam dupliciter aliquid potest dici per se existere, ac proinde subsistere: primo quia existit independenter ab alio: secundo quia alteri non potest communicari. Ex quo fit, subsistentiam accipi posse, & pro perfectitate excludente dependentiam, & pro perfectitate excludente communicationem. Hac observatione praemissa, facile poterit resolvi difficultas proposita. Unde fit

§. I.

Duplici conclusione discutens proposita resolvitur.

Dico ergo primo: Si subsistentia accipitur pro perfectitate excludente communicationem alteri ut supposito, non est potentia in Deo secundum se considerato, & ut praesentatur relationibus & personis.

Conclusio est omnino certa: Natura enim divina, ut praesentatur relationibus, tribus personis est incommunicabilis, & de facto illi communicatur: Ergo ut sic non potest gaudere aliqua subsistentia, quae tribus incommunicabilitatem alteri ut supposito.

Confirmatur: Subsistentia in hac secunda acceptione, nihil aliud est quam personalitas: Sed in Deo, pro priori ad relationes, non datur personalitas: Ergo nec subsistentia.

Theol. Guetz, Tom. II.

sentia in secunda acceptione: Minor probatur. Cum enim personalitas sit constitutum personae, si in Deo, pro priori ad relationes, daretur personalitas, Deus in illo priori esset persona, & sic daretur quatuor personae in Deo: quod est contra fidem, & expressam definitionem Concilii Lateranensis, negantis in Deo personarum quaternitatem.

Dico secundo: Si subsistentia usurpetur pro perfectitate, excludente dependentiam ab alio in existendo, convenit natura divina secundum se considerata, & ut praesentatur relationibus & personis.

Probatu conclusio primo ex Agathone Papa, in Epistola quae habetur in sexta Synodo actione 4. parum a principio, ubi dicitur: Consiemur trium subsistentiarum seu personarum unam subsistentiam.

Secundo ex Augustino 7. de Trinit. c. 3. dicente: Omnis res (scilicet substantialis) ad seipsum subsistit, quanto magis Deus? Idem docent Hieronymus epist. 57. ad Damasum, Cyrillus Alexandrinus, & alii SS. Patres, quos referunt Carmelita Salmanticensis hic disp. 9. dubio 5. §. 2.

Tertio ex S. Thoma, qui eandem veritatem variis in locis aperissime docet. Nam in 1. di. 21. quest. 2. art. 1. sic ait: Natura Divina est in se habens esse subsistens, nulla intellecta personarum distinctione. Et in 3. di. 6. qu. 2. art. 2. ad 2. asserit quod in Deo ipsa essentia subsistens est: unde secundum se debet esse, immo ipsa est suum esse subsistens. Et 4. cont. Gentes cap. 4. dicit, quod in Deo sunt plures res subsistentes, si relationes consideremus; & una res subsistens si consideretur essentia. Denique q. 9. de potentia art. 3. ad 13. in Divinis (inquit) proprietates personales hoc solum habent, quod supposita naturae divinae ab invicem distinguantur, non autem sunt principium subsistentiae divinae essentiae, ipsa enim divina essentia est secundum se subsistens.

Ex quibus locis responders possumus ad animadversiones P. Nicolai, nos istdem oculis subsistentiam absolutam quae non habeat rationem personae, legere, quibus legimus in locis a nobis citatis, quod divina essentia est secundum se subsistens, quod proprietates personales non sunt principium subsistentiae divinae essentiae, &c. Et quomvis forsitan D. Thom. 3. p. ita explicandus sit, quod etiam si nulla intelligeretur in Deo personarum distinctio, sed intelligeretur solum natura divina subsistens, ac subinde habens rationem personae, qualem intelligunt Judei, & Philosophi postuerant, qui unicam in Deo personam admittent: at tamen ex locis supra positis facile convincitur, D. Thomam voluisse quod etiam si concipiatur natura divina ut praesentatur personis, qua ratione non habet rationem personae, adhuc tamen potest naturam humanam assumere.

Nec obstat D. Thom. dixisse, posse intelligi naturam assumere, &c. Etenim apud D. Thom. & res ipsa, idem est posse intelligi, & non repugnare, quia quae repugnant, non possunt intelligi, siquidem quod possunt intelligi, non repugnant, quia non est impossibile apud Deum omnia verbum: Cum ergo D. Thomas dixerit, posse intelligi naturam divinam posse assumere, etiam ipsa natura divina potest assumere naturam humanam.

Alio modo conatur Vasquez eludere testimonia supra adducta D. Thomae & SS. Patrum: respondet enim, D. Thomam, & alios SS. Patres allegatos, usurpare subsistentiam pro existentia.

Sed hac solutio multipliciter potest confutari. Primo quia si valet haec responsio, eodem modo, & pari facilitate, eludi poterunt omnia testimonia, quibus ipse Vasquez & alii Auctores probant contra Durandum, & alios infra referendos, dari in personis divinis tres subsistentias relativas; nam eodem modo glossari poterant, & dicit, SS. Patres in illis locis subsistentiam usurpare pro existentia: Ergo Vasquez hac responsione arma subministrat Adversariis ad infringendam vim omnium argumentorum, quae adducit contra Durandum, & alios negantes in Divinis tres subsistentias relativas.

Secundo. Si locis allegatis subsistentia sumeretur pro existentia, quando D. Thomas ait, quod divina essentia, est suum esse subsistens, sensus esset, quod Deus est suum esse existens, vel existentia existens, quod esset inutilis repetitio, & batologia intolerabilis.

Tertio. Ex eo quod in Deo ipsa essentia divina subsistens est, inferit D. Thom. quod est secundum se debet esse, immo quod ipsa est suum esse: Sed hic discursus non valet, immo esset omnino nagatorius, si per ly, subsistens, intelligeret existens; nam idem esset ac si diceretur, ex eo quod in Deo ipsa essentia esset existens, ei deberi existentiam: Ergo, &c.

Denique D. Augustinus immediate ante verba relata, sic habet: Sicut ab eo quod est esse appellatur essentia, ita ab eo quod est subsistere, subsistentiam dicimus: Ergo quando subdit: Omnis res ad seipsum subsistit, quanto magis Deus: non loquitur de existentia, sed de subsistentia, seu modo per se existendi, excludente dependentiam ab alio sustentante, quem dicimus pro priori ad relationes & personas convenire divinae essentiae.

H

§. II.



§. II.

Eadem veritas, ratione suadetur.

Præter tam evidentiâ testimonia, plures sunt rationes egregiæ, quibus eadem veritas efficaciter suaderi potest. Prima est Deitatis concretum, quod per hunc terminum, hic Deus, significatur, non constat præcisè ex natura divina, & existentia. Ergo includit necessario subsistentiam: Non relativam: nam hic Deus predicatur de tribus personis: ut quid secundum rem commune illis: Ergo absolutam. Antecedens probatur: concretum Deitatis significare debet aliquid per modum habentis, sicut ly homo significat habens humanitatem: Sed natura divina, etiam prout existens, si a subsistentia secludatur, non significatur per modum habentis, sed potius tamquam id quo aliud constituitur in ratione Dei: sicut humana Christi natura, præcisè a subsistentia Verbi, quantumvis intelligatur existens per creatam existentiam, non dicitur homo, sed humanitas, nec in concreto significatur, sed abstracte, nec etiam est id quod est, sed id quo Christus Dominus constituitur in ratione hominis: Ergo concretum Deitatis, quod significatur hoc nomine, Deus, non constat ex natura, præcisè & existentia, sed ex natura per subsistentiam terminata.

Secunda ratio. Deus, ut præintelligitur personis, est subsistens: Sed non subsistentia personali & relativa, ut in prima conclusione ostendimus: Ergo subsistentia essentialis & absoluta. Minor patet, Major autem, in qua solum potest esse difficultas, probatur primo. Deus, ut præintelligitur personis, creat, & operatur res ad extra, alias non essent indivisa opera Trinitatis ad extra; est etiam in illo priori intelligens & volens: Ergo in illo priori est subsistens. Probatur Consequentia: nam ut ait D. Thomas infra q. 75. art. 2. nihil potest per se operari, nisi quod per se subsistit; unde commune axioma est: Actiones sunt suppositivæ, vel subsistentium. Ratio etiam id suadet. Cum enim subsistentia sit actus substantialis, prius natura convenit quam operatio, quæ ex communi conceptu actus substantialis non est.

Secundo probatur eadem Major: Subsistere dicitur maximam perfectionem, dicit enim modum essendi perfectissimum. Ergo non debet Deo negari, etiam ut præintelligitur tribus personis. Consequentia patet: Tum quia omnis perfectio imaginabilis debet reperiri in divina essentia: Tum etiam quia, ut supra ostendimus, relationes nullam addunt perfectionem ad divinam essentiam, sed potius totam perfectionem quam habent, ab illa accipiunt.

Tertio eadem Major ostenditur. Divina essentia intra suam lineam est infinita: Ergo & subsistens. Probatur Consequentia: Ideo natura creata, intra propriam lineam non subsistit, sed ratione sui suppositi, quia finita est, & sic dependet ab illo ut a sustentante: Ergo si divina natura intra propriam lineam sit infinite perfecta, erit subsistens intra propriam lineam.

Denique eadem Major suadetur ratione desumpta ex Tractatu de Incarnatione. Nam ut docet S. Thom. 3. parte q. 3. art. 3. abstractis per intellectum personalitibus, præintelligitur personis, est subsistens. Consequentia patet: si enim in illo priori non esset subsistens non posset suppleri vices subsistentiæ creatae, & reddere naturam creatam subsistentem; implicat enim illam reddere subsistentem, nisi per subsistentiam propriam, vel alienam: Ergo non posset illam assumere, in hoc enim consistit assumptio, quod Deus terminet naturam alienam, & suppleat vices subsistentiæ creatae.

§. III.

Ratio fundamentalis expenditur.

Tertia ratio, quæ est fundamentalis, sumitur ex principis supra statutis. Nam per subsistentiam absolutam, quam dicimus convenire naturæ divinæ secundum se, nihil aliud intelligimus, quam perfectiorem excludentem dependentiam ab alio ut sustentante: Sed natura divina, secundum se, & ut præintelligitur relationibus & personis, gaudet tali perfectitate & independentia, cum non dependeat a relationibus in existendo, sed potius relationes per eas existentiam existant, ut disputatione precedenti ostensum est: Ergo natura divina secundum se, & ut præintelligitur relationibus & personis, gaudet subsistentia absoluta.

Hinc argumento dupliciter respondent Adversarii. Aliqui enim concedunt naturam divinam, pro priori ad relationes & personas, per se existere, independentem ab alio ut sustentante; negant tamen quod subsistat, quia (inquunt) in independentia ab alio in existendo, non salvatur ratio subsistentiæ, sed solum in perfectitate excludentem communicabilitatem alteri ut supposito; quæ perfectitas, pro priori ad relationes, non competit naturæ divinæ, cum sit communicabilis tribus personis.

Secundo alii respondent, negando quod natura divina, pro priori ad relationes, competat perfectitas in existendo, per excludentem dependentiam a sustentante: nam (inquunt) in existendo dependet a relationibus: neque ex hoc existunt aliquam imperfectionem redundare in divinam essentiam, eo quod relationes ab illa realiter sint indistinctæ.

Sed neutra solutio satisfacit. Prima enim, ut supra annotavimus, totam hæc controversiam devolvit ad questionem de nomine: in questione autem de nomine, potius standum est auctoritati Augustini & D. Thomæ, quam iudicio recentiorum Auctorum; & temerarium est dicere cum Vasquez, Hieronymum & Augustinum non satis intellexisse huius nominis significationem. Unde cum illi SS. Patres, & præcipue D. Thom. loc. supra alleg. perfectitatem jam explicite tribuant nomini subsistentiæ, non est cur illud ei denegemus: præsertim cum ratio id suadet, de eo enim quod per se existit, perfectitate independentiæ, absolute verum est dicere existere per se: Ergo absolute verum est dicere quod subsistit. Consequentia probatur: nam (ut supra ex D. Thom. observavimus) in perfectitate existendi subsistentia consistit: nec alia ratione anima rationalis separata a corpore subsistit, nisi quia se separata, perfectitate independentiæ gaudet est communicabilis sit.

Confirmatur: Subsistentia creata duo præstat naturæ quam terminat: primum, quod existit per se, perfectitate independentiæ: secundum, quod per se existit perfectitate incommunicabilitatis: At divina relationes, quia dant secundam perfectiorem, dicuntur & sunt revera subsistentiæ: Ergo si formalitas absoluta tribuat divinæ essentia primam, erit revera subsistentia, & nomine subsistentiæ absoluta gaudebit.

Secunda solutio omni probabilitate caret, & facile potest confutari. Nam existentia ut exercita convenit essentialiter naturæ divinæ, in statu absoluto considerata: Ergo ut illi conveniat, a relationibus, quæ posteriores sunt, non dependet; & consequenter per se convenit illi, perfectitate excludente dependentiam a sustentante.

Præterea, si divina essentia non existeret ut quod, pro priori ad relationes, sed ratione illarum; intelligeretur pro eo priori imperfecta, etiam si relationes, ratione quarum existeret, essent ab ea realiter indistinctæ: Ergo pariter si non existeret perfectissimo modo, consistente in perfectitate excludente dependentiam a sustentante, non salvabitur in illa debita perfectio, quamvis relationes, ratione quarum ei conveniret perfectitas in existendo, realiter ab illa non distinguantur.

Confirmatur: Imperfecta esset divina intellectio, si verbo indigeret, & ex indigentia verbum produceret, est verbum ab illa realiter non distinguatur: Ergo pariter imperfecta esset divina existentia, si indigeret relationibus ut per se conveniret essentia; est relationes realiter ab illa sint indistinctæ.

§. IV.

Solvuntur Objectiones.

Contra illam conclusionem obijciunt in primis Adversarii: Subsistentia, juxta Concilia & SS. Patres, quorum plura referunt testimonia, idem significat latine, quod græce *hypostasis*. Sed nullus Theologorum audeat concedere hypostasis absolutam in Deo, ut præintellecto relationibus & personis: Ergo nec subsistentia absoluta in illo admittenda est.

Respondet distinguendo Majorem: Subsistentia idem significat latine quod græce *hypostasis*: in aliqua sui acceptione, eaque frequenti, concedo Majorem: in omni sua acceptione, nego Majorem. Nam sicut hoc nomen, *substantia*, dupliciter sumitur, & pro supposito, & pro essentia; & in prima acceptione concedatur tres substantiæ in Deo, & negatur una substantia; in secunda vero conceditur una, & negantur tres substantiæ, de quo D. Thomas quæst. precedenti art. 2. ad 2. & hic art. 1. ad 1. Ita hoc nomen *subsistentia* dupliciter accipitur: primo pro perfectitate excludente dependentiam a sustentante; secundum pro perfectitate excludente communicabilitatem supposito. Primo modo est una, & non plures; secundo plures, & non una: & in hac secunda acceptione correspondet nomini græco *hypostasis*.

Advertendum tamen est, quod sicut non dicimus absolute tres substantias, ne deur occasio erroris; sed solum cum addito, scilicet tres substantias individuas, ut supra art. 1. ex D. Thom. observavimus. Ita etiam, ne deur occasio erroris, absolute dicendum non est, dari in Deo unam subsistentiam, sed solum cum addito, addendo scilicet, absolutam, vel aliquid, denotans nos loqui de absoluta subsistentia.

Obijciunt secundo: Si Deus pro priori ad relationes subsisteret, esset persona: Sed hoc non est dicendum, alias in Deo daretur personarum quaternitas, quod in Concilio Lateranensi damnatum fuit: Ergo Deus, pro priori ad relationes, non subsistit. Sequela Majoris probatur: Persona nihil

nihil aliud dicit, quam subsistens in natura intellectuali; Ergo si Deus, pro priori ad relationes subsisteret, esset persona.

Hinc argumento patet solutio ex dictis in prima conclusione, Major enim distinguenda: Si subsisteret subsistentia significat perfectiorem, excludentem communicabilitatem alteri ut supposito, concedo Majorem: si subsisteret subsistentia accepta pro perfectitate, excludente solum dependentiam ab alio in existendo, nego Majorem. Vel clarius: si subsisteret subsistentia personali & incommunicabiliter, concedo Majorem: si subsistentia absoluta & incommunicabili, nego Majorem. De ratione enim persona est, quod sit subsistens in natura intellectuali incommunicabiliter: ut constat ex definitione illius supra exposita.

Dices: Si Deus pro priori ad relationes sit subsistens, subsistentia absoluta, erit saltem semi-persona: quia licet ei desit incommunicabilitas, quæ ad integrum & completam rationem personæ requiritur, habebit tamen subsistentiam, quæ perfectiorem in existendo, quæ est unum ex requisitis ad rationem personæ.

Respondet negando sequelam: Sicut enim ex eo quod equus participet rationem animalis, quæ est unum ex prædicatis essentialibus hominis, non potest dici semi-homo: ita etiam licet Deus, pro priori ad relationes, gaudeat subsistentia, quæ est unum ex requisitis ad rationem personæ, non tamen debet dici semi-persona: Ratio est, quia essentia rerum consistit in indivisibili, & se habent sicut numeri, qui ex additione vel subtractione unitatis mutant speciem. Unde sublate differentia essentiali & specificis, statim solvitur species; quamvis unum ex prædicatis essentialibus remaneat.

Obijci tertio Vasquez: Deitas præintellecta personis, non potest esse principium generandi ut quod ad intra: Ergo non potest intelligi ut se subsistens.

Sed nego Consequentiam: ad hoc enim ut Deitas intelligatur principium quod generationis æternæ Filii, debet concipi cum paternitate, ut est ratio incommunicabiliter subsistendi; quia desideratur realis distinctio inter generans & genitum, quæ non potest esse nisi per relationes: ut autem Deitas intelligatur ut subsistens, sufficit, ut intelligatur existens per se, & independentem a quocumque alio; quod illi convenit secundum se, & ut præintellectæ relationibus & personis.

Obijci quarto: Ut divina natura subsistat, sufficientes tres subsistentiæ relativæ: Ergo frustra ponitur subsistentia absoluta.

Respondet negando Antecedens: nam relationes non tribuunt naturæ divinæ subsistere subsistentia accepta pro perfectitate independentiæ a sustentante, sicut nec illi tribuunt independentiam a subiecto inhæssionis, sed solum tribuunt illi incommunicabilitatem; & ideo subsistentia absoluta, ad præstandam primum necessaria est.

Dices: in Deo utrumque posse præstari a relationibus: sicut in creatis personalitatibus utramque perfectiorem tribuit naturæ quam terminat, reddendo illam independentem ab alio ut sustentante, & incommunicabilem alteri ut supposito.

Sed hoc negandum est: independentia enim a sustentante, cum perfectio maxima sit, non potest a relatione præstari, quæ ratione sui in nostra sententia perfectio non est; & etiam si detur quod perfectio relativa sit, essentiam in linea absoluta perfectio modo existentem supponit, ut supra dicebamus. Unde patet disparitas ad exemplum adductum: nam in natura creata potest ab eadem forma præstari quod perfectio est, nempe independentia a sustentante, & quod est incommunicabilitas: in Deo autem id quod est perfectio est, non potest præstari nisi ab essentia; & incommunicabilitas non potest oriri nisi a relationibus.

Dices rursum: Si in Deo esset una tantum persona, personalitas utramque præstaret: redderet enim naturam divinam independentem ab alio ut sustentante, eique incommunicabilitatem tribueret: At nulla est ratio, cur tres personalitates, quas Religio Christiana fateatur in Deo, non præsent totum id quod tunc præstaret unica personalitas: Ergo idem quod prius.

Respondet, concessa Majori, negando Minorem: nam in hoc casu, vel personalitas non esset virtualiter a natura divina distincta, vel ad minus esset perfectio absoluta: nullum autem est inconveniens, quod independentia a sustentante, quæ (ut diximus) maxima perfectio est, conveniat essentia divine dependentem ab aliqua perfectione essentiali & absoluta; præsertim si talis perfectio identificateur cum essentia, sine virtuali discrimine. Modo vero tres personalitates, quas Religio Christiana in Deo agnoscit, & relativæ sunt, & virtualiter ab essentia distinctæ; illaque posteriores. Est autem inconveniens, quod modus perfectissimus existendi (qualis est subsistentia, prout dicit independentiam ab alio ut sustentante) competat Deo dependentem a relationibus, quæ ratione sui perfectiones non sunt, sed totam perfectionem quam habent, desumunt a divina essentia, quæ in illis includitur.

Obijci quinto: Subsistere est per se existere, vel non in alio, seu cum repugnantiâ ad existendum in alio: At natura

divina pro priori ad relationes, hæc perfectitate non gaudet, cum potius petat in personis existere: Ergo pro illo priori non subsistit.

Respondet distinguendo Majorem: per se vel non in alio sustentante, concedo Majorem: ut præcisè terminante, nego Majorem, in omni subsistentiæ acceptione. Et sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam: nam licet natura divina petat esse in personis, ratione fecunditatis, non tamen petat esse in illis ratione indigentia: ut existat exercite, sed hoc habet ratione sui; unde est in personis præcisè ut terminantibus, non ut sustentantibus.

Dices: Sustentari a supposito, est ab illo compleri: Sed natura divina completur per subsistentias relativæ: Ergo ab illis sustentatur. Minor probatur: cum enim natura divina petat subsistentias relativæ, illæ debent aliquo modo ad naturam spectare; cumque ad illam non pertineant ut proprietates, debent saltem ad illam non pertinere ut complementa, seu ut modi quibus completur.

Respondet distinguendo Majorem: sustentari a supposito est ab illo compleri: complemento requisito ob indigentiam ad existendam exercite, concedo Majorem: requisito ob solam fecunditatem naturæ & existentia; nego Majorem: & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam: nam relationes divinæ, etiam completæ naturam, complemento orto ex summa fecunditate, ratione cuius petat existere in tribus personis, non tamen complemento orto ex indigentia, ut exercite existat; quia cum hoc non flaret summa perfectio absoluta essentia; sicut nec summa perfectio divinæ intellectiois subsisteret, si verbum esset complementum ejus ex indigentia, & ex infinita divini intellectus fecunditate non procederet.

Instabis: Divina essentia non potest existere sine relationibus: Ergo subsistentiæ relativæ sunt complementa ex indigentia naturæ ad existendum.

Sed nego Consequentiam, & insto, tum in possibilitate creaturarum, sine qua omnipotentia subsistere nequit; tum in divina intellectioe, quæ sine verbo non potest existere; & tamen nec creaturarum possibilitas requiritur ex indigentia, sed ex fecunditate omnipotentia; nec verbi productio ex indigentia, sed ex fecunditate intellectiois.

Obijci ultimo: Si natura divina ratione sui esset subsistens, Deitas non posset intelligi in abstracto: quod enim assert essentialiter subsistentiam, non potest intelligi, nisi ut id quod est, & consequenter nisi in concreto.

Respondet distinguendo Majorem: non potest intelligi in abstracto, si conciperetur ut est in se, concedo Majorem: si concipiatur imperfecte & per analogiam ad res creatas, qualiter a nobis concipitur, nego Majorem. Nos enim asserimus rebus materialibus & creatis, concipimus naturam divinam inadæquate; non concipiendo illam ut est subsistens; & ideo illam in abstracto, & per modum forme constituentis concipimus.

ARTICULUS II.

An subsistentia in personis divinis realiter multiplicetur?

Hanc questionem sub aliis terminis aliqui proponunt, inquirentes an præter subsistentiam absolutam, quam divinæ essentia secundum se consideratæ convenire ostendimus, dentur in personis divinis tres subsistentiæ relativæ, realiter inter se distinctæ, & virtualiter a subsistentia absoluta essentia?

Partem negativam tenet Durandus in 1. distinctione 13. quæst. 2. existens tres personas divinas totam rationem subsistendi desumere a subsistentia absoluta essentia in illis inclusa, incommunicabilitatem vero præstari a relationibus; & consequenter tres subsistentias relativæ, ad constituendas divinas personas, esse omnino superfluas. In eandem sententiam videntur inclinare Capreolus in 1. dist. 26. quæst. 1. art. 1. conclus. 3. & Ferraricensis 4. contra Gentes cap. 26. eique favent Nazarius & Altaricensis, locis infra allegandis.

Alii tamen Thomistæ partem affirmativam defendunt, & præter subsistentiam absolutam & communem, quam in Deo ut præintellecto relationibus & personis, agnoscunt, tres alias relesivas & incommunicabiles divinis personis admittunt.

§. I.

Statuitur prima conclusio.

Deo primo: Subsistentia pro perfectitate independenti sumpta, non multiplicatur in personis divinis.

Probatur prima conclusio: Unica existentia essentia sufficit, ut existant relationes divinæ, ut disputatione precedenti ostensum est: Ergo una existentia essentia perfectitas, sufficit ut ille per se existant, & consequenter non multiplicabitur in illis realiter subsistentia accepta pro hujusmodi perfectitate. Consequentia patet: nam ideo sufficit unica existentia essentia, quia infinita est in ratione existentia: At etiam subsistentia essentia infinita est



In ratione excludentis dependentiam a sustentante: Ergo etiam unica perfectas independentie sufficit ut divina natura & personae per se existant.

36 Probatur secundo: Absoluta non multiplicatur in Divinis: Sed substantia, pro perfectate independentie sumpta, est quid absolutum: Ergo in personis divinis non multiplicatur. Major patet: nam omnia in Deo sunt unum, ubi non obviat relationis opposito. Minor vero probatur: Illud est absolutum, quod convenit Deo pro priori ad relationes & personas, ut per se manifestum est: Sed substantia, pro perfectate independentie accepta, convenit Deo ut praesentato relationibus & personis, sicut articulo praecedenti ostendimus: Ergo est quid absolutum & commune tribus personis.

37 Confirmatur, & magis illustratur haec ratio. Quae conveniunt personis ratione essentiae, non vero ratione relationum, non multiplicatur realiter: Sed substantia, ut dicit perfectate independentie ab alio sustentante, convenit personis divinis ratione essentiae, & non ratione relationum: Ergo in illis realiter non multiplicatur. Major est certa, & patet ex dicendis disputat. sequenti. Minor vero, in qua est difficultas, probatur primo ex D. Thom. q. 9. de potentia artic. 5. ad 13. ubi ait, quod proprietates personales habent quod substantiam abessentia: Sed hoc non potest intelligi de substantia pro perfectate incommunicabilitatis accepta; illa enim, ut ostendimus conclusione sequenti, convenit personis divinis ratione relationum: Ergo debet verificari de substantia accepta pro perfectate existendi opposita dependentiae.

38 Secundo suadet eadem Minor: Ea quae perfectionem dicunt, conveniunt personis divinis propter essentiam, non vero propter relationes, quae in nostra sententia, ratione sui, perfectiones non sunt, sed totam bonitatem & perfectionem quam habent, ab essentia in illis inclusa demunt: Atqui perfectas independentie in existendo, maxima perfectio est, ut patet ex dictis articulo praecedenti: Ergo non convenit personis divinis, ratione relationum, sed solum ratione essentiae.

39 Tertio probatur Minor principalis: Perfectas independentie ab alio sustentante convenit relationibus divinis, ex eo quod sint substantiales, & non accidentia, sicut relationes creatae: Sed id habent ex identitate cum divina substantia seu essentia, ut patet: Ergo talis perfectas illis convenit ratione essentiae. Itaque personalitas Patris, v. g. & est ratio subsistentis independentem, & ratio subsistentis incommunicabilitatis: primum non habet ex vi lineae relatae, sed ratione essentiae in illa inclusa; secundum vero ratione propriae lineae: ideo multiplicatur substantia in secunda acceptione, ut sequenti conclusione videbimus: fecus autem in prima, de qua solum in hac conclusione loquimur.

40 Dices: Ex hoc sequi, personalitatem Patris intra propriam lineam non obtinere completam personalitatis rationem: Consequens videtur falsum: Ergo, &c. Probatur sequela: De ratione completae personalitatis est quod sit ratio subsistentis, nedum incommunicabiliter, sed etiam independentem: Tum quia de ratione personae utraque perfectas est, & consequenter utraque a completa personalitate debet provenire: Tum etiam quia personalitas creatae habet ratione sui utramque perfectas non exhibet, non obtinebit intra propriam lineam completam personalitatis rationem. Ex quo ulterius sequitur, aliquid ad personalitatem spectans, a divina natura provenire; ac proinde illam esse semi-personam, ut quidam dicunt.

41 Respondeo negando sequelam; ad cuius probationem, nego Antecedens, quod non convincunt duae probationes adductae. Non quidem prima; quia licet utraque perfectas sit de conceptu personae, cum tamen ad personam constituendam ingrediantur natura & personalitas, potest una a natura, & altera a personalitate praestari. Nec etiam secunda; quia quod personalitas creatae utramque perfectas praestet ratione sui, provenit ex imperfectione naturae creatae, quae ante personalitatem subsistens non est, nec existens. Sicut nec valet ista consequentia: Personalitas creatae naturam primo subsistentem constituit: Ergo est de ratione personalitatis ut sic primo subsistentem naturam constituere; cum plures ex illis contra quos nostra conclusio procedit, absolutam substantiam agnoscant in Deo, & consequenter teneantur fateri personalitatem divinam non esse primam rationem subsistentis divinae naturae.

§. II.

Statuitur secunda conclusio.

Deo secundo: Substantia pro perfectate incommunicabilitatis accepta, realiter multiplicatur in personis divinis.

42 Probatur primo: Juxta Concilia & SS. Patres dantur plures substantiae in Divinis: Sed non plurificantur, acceptae substantiae pro perfectate independentie a sustentante, ut praecedenti conclusione ostendimus: Ergo de-

bent saltem multiplicari, si substantia pro perfectate incommunicabilitatis accipiatur. Major probatur ex sexta Synodo generali actione 11. ubi dicitur, quod sanctissima Trinitas numerabilis facta est personabilibus substantiis: Id ipsum habetur in Concilio Niceno secundo, in exemplari Lateranensi Theodori Patriarchae Hierosolymitani; & in Lateranensi II. approbato a Martino I. consult. 5. & multis aliis in locis.

Idem docent SS. Patres, Ambrosius in Symbol. Apo. post. cap. 9. ubi ait: Catholicum est, ut & unum Deum secundum unitatem substantiae fateamur: & Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, in sua quemque substantia sentiamus. Cyrillus Alexandrinus dialogo de Trinit. lib. 3. his verbis: Omnis nostra fidei sermo huc tendit, ut unam videamus Deitatis naturam, quae in tribus substantiis proprie subsistit. Athanasius serm. de Deipatre dicens: Unum Deum in tribus substantiis praedicamus, in quibus una sit substantia. Denique Damascenus lib. 1. fidei cap. 9. ait quod Filius propriam habet substantiam, praequam eam quae Patris est.

Respondetis primo apud Concilia & SS. Patres quando pluraliter substantiae dicuntur, accipi substantiam pro personalitate.

Sed contra primo: Nam vel acceptio ista est propria, vel impropria locutio: Si primum, habemus intentum, scilicet substantiam in aliqua sui propria acceptione plurificari in Divinis: si secundum, sine urgente necessitate Conciliorum & Patrum verba ad imperfectum sensum detorqueantur, quod est inconveniens: Ergo, &c.

Secundo: Si locis allegatis substantia pro personalitate sumeretur, verba illa sextae Synodi: Trinitas numerabilis facta est personabilibus substantiis, redderent hunc sensum nugatorium: Trinitas numerabilis est personabilibus personalitatibus: Sed hoc non est dicendum: Ergo nec illud.

Tertio: Personalitas in recto est substantia, cum juxta D. Thomam quae praecedenti art. 2. nihil aliud sit personalitas, quam substantia in rationali natura: Ergo si juxta Concilia & SS. Patres dantur in Deo plures personalitates, etiam substantia multiplicabitur in personis divinis.

Respondetis secundo, Concilia & SS. Patres locis allegatis sumere substantiam in concreto, seu pro re subsistente: unde quod affirmant plures esse in Deo substantias, idem est, ac si dicerent in Divinis esse plures res subsistentes; ad quod necessarium non est, ut substantiae multiplicentur, sed sufficit quod sint plures personae eadem substantia gaudentes.

Sed haec etiam responso eadem facilitate rejicitur qua praecedens. Primo, quia Concilia & SS. Patres loquuntur de substantiis ut de formis, aut veluti formis, quibus Sanctissima Trinitas constituitur, & numeratur, ut patet ex verbis sextae Synodi, jam relatis: Sed hoc est loqui de substantiis in abstracto, & non in concreto: Ergo Concilia & SS. Patres non sumunt substantiam in concreto, sed in abstracto.

Secundo. Dato & non concesso, quod Concilia & Patres sumant terminum illum pro concreto, adhuc tamen sequitur dari tres substantias in Divinis: nam ut docet D. Thomas infra quest. 39. art. 3. ad multiplicationem concepti substantivi necessarium est multiplicari formas: quapropter non possunt in sensu Catholico tres personae dici tres Divi, quia nomen, Deus, substantivum est, & una est solum forma per illud nomen significata, scilicet Deitas: Sed hoc nomen, subsistens, non minus substantivum est, quam hoc nomen, Deus, cum significet per modum substantiae, & aliunde forma per hoc nomen significata, est substantia: Ergo si juxta Concilia & SS. Patres dantur in Divinis plures res, aut personae subsistentes; consequenter etiam plures in personis divinis substantiae, seu subsistentiae rationes, admittende sunt.

Dices: Licet hoc nomen, subsistens, sit concretum substantivum, interdum tamen sumitur adjective a Conciliis & SS. Patribus: sicut haec nomina omnipotens, aeternus, sapiens, utramque acceptionem admittunt.

Sed contra: Concilia & SS. Patres, ut supra dicebamus, loquuntur de hoc nomine, subsistens, tanquam de forma constituyente, & distinguente personas: Sed accipere formam pro concreto adjectivo, est impropria locutio; unde nullus Theologorum audebit asserere, tres dari in Deo omnipotentias: etiam si catholice concedatur tres omnipotentia adjective: Ergo Concilia, & SS. Patres, locis allegatis, non sumunt hoc nomen, subsistens, vel subsistens, pro concreto adjectivo.

Præterea: Est quod ly subsistens, ita usurparetur, adhuc haberetur intentum: Nam concretum adjectivum non potest plurificari, nisi plurificetur ratio habendi formam ab eo importatam: Sed ratio habendi formam importatam per concretum adjectivum, non est aliud quam substantia; illa enim est prima ratio sustentandi aut quasi sustentandi formam: Ergo quavis daretur quod substantia sumatur a Patribus pro concreto adjectivo, oportet quod ipsa subsistenti ratio plurificetur.

Denique respondebis, substantiam divinam triplicem appellari a Conciliis & SS. Patribus, non ex eo quod ratio formalis

formalis subsistenti in personis divinis multiplicetur: sed quia substantia absoluta, in personis divinis inclusa diversimode ab illis modificatur, & diversis incommunicabilitatis modis terminatur. Sicut concedatur in Deo plures potentiae notiones, generativae scilicet & spirativae; abique pluralitate rationis formalis producendi, quae in utraque est absoluta, per hoc solum quod ratio illa absoluta, diversis relationibus terminetur. Ita Vincentius Alericensis in manuscriptis de origine gratiae, & Nazari. infra q. 39. art. 4. controversia 1.

43 Sed haec responso & doctrina fufe impugnabitur §. sequenti. Interim tamen potest consistari: Primo quia si haec responso valerit, eodem modo dici posset, in personis divinis triplicem dari existentiam, immo & triplicem essentiam & naturam; quia non solum substantia, sed etiam divina existentia & natura, in personis divinis inclusa, diversimode ab illis modificatur, & diversis incommunicabilitatis modis terminatur: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud.

Secundo impugnatur praedicta responso: Damascenus supra relatus ait, quod Filius propriam habet substantiam praeter eam quae Patris est: Sed hoc erit falsum, si ratio formalis subsistenti in personis divinis non multiplicetur; ex eo enim quod substantia absoluta a paternitate & filiatione diversimode modificatur, solum colligi potest, quod Filius habet substantiam sibi appropriatam, non tamen sibi propriam, & diversam ab ea quae Patris est: Ergo praedicta responso menti Damasceni repugnat.

Tertio, SS. Patres docent multiplicari in Divinis personalitates: Sed ille non possunt multiplicari, nisi etiam substantia, seu ratio de se subsistenti incommunicabiliter, in personis divinis multiplicetur, ut infra ostendimus: Ergo non sufficit ad salvanda dicta Conciliorum & SS. Patrum, admittere unicam substantiam absolutam a relationibus divinis diversimode modificatam & terminatam, ut magis patet ex dicendis §. sequenti.

§. III.

Conclusio ratione suadetur.

44 Ratio fundamentalis nostrae conclusionis sumitur ex illo communi Theologorum principio, quod asserunt ea quae relativa sunt, & quae personis divinis ratione relationum conveniunt, realiter multiplicari in illis: At substantia pro perfectate incommunicabilitatis accepta, in Deo relativa est, & convenit personis divinis, ratione relationum, non vero ratione essentiae, aut perfectionum absolutarum: Ergo realiter in illis multiplicatur. Major est certa, & patet ex dicendis disputatione sequenti. Minor vero probatur: Substantia ut dicit modum subsistenti incommunicabiliter, est constitutiva personarum in Deo: Sed personae divinae constituuntur per aliquid relativum, ut constat ex dicendis infra disp. 11. art. 8. quando agemus de constitutiva divinarum personarum: Ergo substantia, ut dicit perfectate incommunicabilitatis, seu modum subsistenti incommunicabiliter, relativa est, & personis divinis convenit ratione relationum, non vero ratione essentiae, aut perfectionum absolutarum.

Respondet Adversarii: Personae divinae non constituuntur per substantias relativas, virtualiter distinctas a substantia absoluta essentia, sed per ipsam substantiam absolutam, non quidem ut absoluta est, sed ut est modificata per relationes divinas. Cum enim (inquiunt) in ratione personae duo tantum importentur, scilicet subsistere incommunicabiliter: primum tribuitur personis divinis a substantia absoluta essentia in illis inclusa; alterum vero praestatur a relationibus, quae ratione oppositionis relative qua gaudet, sunt fundamenta distinctionis & incommunicabilitatis in personis divinis. Et ita superfluum videtur & otiosum, praeter substantiam absolutam, tres relativas in personis divinis admittere: cum ipsa substantia absoluta, ut tribus relationibus modificata, possit praestare totum id, quod ad rationem & constitutionem personae divinae requiritur.

Haec responso & doctrina continet praecipuum fundamentum adversae sententiae: quare non negligenter consideranda est, sed variis rationibus Theologicis demonstrandum, praeter substantiam absolutam & communem, personis divinis convenientem, ratione essentiae, tres adhuc substantias relativas ac proprias, & ratione relationum illis convenientes, necessario esse admittendas.

45 Prima ratio jam insinuata est, & colligitur & dicitur supra disput. 4. artic. 2. Ibi enim ostendimus, significatum formale & directum hujus nominis, persona divina, esse subsistens incommunicabiliter; unde ut personae divinae multiplicentur, utrumque debet necessario multiplicari realiter, substantia scilicet, & incommunicabilitas; & ita ad constituendas & multiplicandas personas divinas, non sufficit unica substantia, per relationes modificata, ut contendunt Adversarii, sed ipsa relationes divinae debent secum deferre suas substantias relativas & sibi pro-

Theol. Corcor, Tom. II.

prias; a substantia communi & absoluta essentia in illis inclusa, virtualiter distinctas.

Confirmatur primo: Nam (ut ibidem monstravimus) significatum formale hujus nominis, persona divina, non est relatio secundum munus referendi, sed secundum munus subsistenti incommunicabiliter: Ergo ut ratio personae in Deo multiplicetur, debet non solum multiplicari relatio secundum rationem ad, & quatenus est respectus ad terminum, sed etiam secundum rationem in, & prout habet rationem subsistentiae, & formae hypostaticae; & consequenter non solum in Deo admitti debent tres relationes modificantes substantiam absolutam, sed etiam tres substantiae relative & personales, divinas personas in ratione hypostasis & personae constituentes. Unde D. Thomas infra quest. 49. art. 3. haec scribit: Non enim proprietates personales praesentantur advenire hypostasi divinae, sicut formas subjecto praesentantur: sed serunt secum sua substantia, in quantum sunt ipsae Personae subsistentes. Et ibidem in resp. ad 2. ait: Paternitate Pater non solum est Pater, sed etiam Persona, & quis, sive hypostasis.

Confirmatur amplius: Non potest in Deo multiplicari persona, nisi etiam multiplicetur personalitas: Sed personalitas non potest multiplicari, nisi etiam multiplicetur substantia: Ergo non potest multiplicari persona in Divinis, nisi substantia multiplicetur. Major patet; nam personalitas est constitutiva personae, sicut humanitas hominis; quare sicut non possunt dari plures homines, nisi dentur plures humanitates; ita nec potest multiplicari persona, nisi personalitas multiplicetur. Unde S. Thomas infra quest. 39. art. 3. ad 4. Forma significata per hoc nomen, persona, non est essentia, vel natura, sed personalitas: unde cum sint tres personalitates, non singulariter, sed pluraliter praedicatur de tribus. Minor vero sic ostenditur: Multiplicato inferiori, debet etiam multiplicari superior, quod est commune communitate rationis; sicut multiplicatis hominibus aut equis, debet multiplicari ratio animalis: Sed substantia est quid superius ad personalitatem, quae supra substantiam addit quod sit incommunicabilis, & naturae intellectualis, ut docet D. Thomas quest. praecedenti art. 2. Ergo multiplicata personalitate, necessario debet multiplicari substantia.

Secunda ratio. Multiplicato principio quod actionis notionalis, debet multiplicari ratio subsistentiae, & non tantum modus incommunicabilitatis: Sed in personis divinis, multiplicatur principium quod actionis notionalis: Ergo non solum incommunicabilitas, sed etiam substantia debet in illis multiplicari. Minor est certa; nam aliud est principium quod generationis, & aliud principium quod spirationis. Major autem probatur ex illo communi Philosophorum axiomate, quod asserunt actiones esse substantiam: unde sicut ex hoc intuitus, in Deo, secundum se considerato, admittendum esse substantiam aliquam absolutam, ratione cuius sit principium quod creationis, conservationis, & aliarum operationum ad extra, quae indivise sunt, & toti Trinitati communes; ita ex eodem principio sequitur in Patre v. g. praeter incommunicabilitatem, admittendam esse aliquam substantiam relativam, per quam constitutur in ratione principii quod actionis notionalis, scilicet generationis; & aliam in Filio, per quam una cum Patre constitutur principium quod spirationis activae.

Hoc argumentum probat solum in Patre & Filio admittendas esse substantias relativas & personales: veramen tamen facile potest ad Spiritum Sanctum extendi. Nam sicut principium quod; ita & terminus qui actionis notionalis, debet esse subsistens incommunicabiliter; sicut enim actiones, ita & passionem, aut quasi passionem, sunt substantiam: Sed Spiritus Sanctus est terminus qui actionis notionalis, scilicet spirationis activae, per quam proceditur: Ergo non minus gaudere debet substantia relativa & incommunicabili, quam Pater & Filius.

Tertia ratio: Incommunicabilitas quam dicunt personae divinae, non est pura negatio, sed fundatur in aliquo positivo: At illud non potest esse aliud, quam substantia: Ergo in personis divinis, praeter tres incommunicabilitates, tres substantiae admittende sunt. Major patet ex dictis disp. praecedenti art. 2. Minor vero probatur: quia si illud positivum non esset substantia, sed haberet per modum formae adjacentis, & cum sit constitutivum personae in esse personalis, persona divina ex sua formalis ratione, se haberet per modum formae adjacentis rei existentis: quod est absurdum, & accedit ad errorem Gilberti Porretani, qui divinas personas essentiae divinae assistentem, illicque veluti adjacentes esse fingebat.

Secundo probatur eadem Minor. Si positivum illud, in quo divinarum personarum incommunicabilitas fundatur, ex propria ratione non esset subsistens, sequeretur quod essentia divina, praesentata hujusmodi positivo, esset suppositum & persona; atque ita, ut una tantum, aut quatuor essent personae in Deo: Sed haec dicitur nequit, ut patet: Ergo nec illud. Sequela probatur: Suppositum, seu persona, est substantia incommunicabilis alteri ut supposito;



